



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Sanctorum Joachim Et Annæ Geneseos, Vitæ, Transitus Et Connexorum

Polius, Jacobus

Herbipoli, 1652

19. De apparitionibus Angeli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43946

cescit ex lect. 5. Officii de S. Annâ votivi, Canonicarum Regularium ad S. Thomam Cantuariensem propè Antonacum, atque ex lect. 4. Metropolitanani Breviarii Moguntini annis 1507. 1509. & 1517. procusi, propter quas auctoritates tanquam probabile hoc allegare nihil obstabat.

QVÆSTIO XIX.

De Apparitionibus Angeli.

QUod non alteri conjugum, sed utrique Angelus Domini apparuerit; Joachimo, non ad Caulas Ovium, sed in deserto, Annæ vero Nazarethi, perhibuerunt testimonium quotquot præactam scripserunt & rescripserunt historiam. S. Hieronymus *de Ortu Mariæ*. S. Germanus in Encomio Deiparæ, introducit magnam Matrem Annam loquentem, quod instantiâ precum, & quadragesimali jejunio, flexus misericors Dominus, conjugibus, disparatis locis existentibus, miserit angelum prænunciantem filiæ conceptionem. Damascenus anno 1577. à Billio Parisiis editus orat. 1. de Nat. B. Virg. *Hinc Dei genitrix*, ait, *ex pollicitatione prodit: Angelus quippe conceptionem parentibus nunciat*. Epiphanius serm. de laudibus Mariæ, & Panthaleon Diaconus orat. de S. Michaelè apud Metaphrasten, Angelum Gabrielem nominant. Et Fulbertus Episcopus 2. serm. de nat. B. Virg. Missus est Angelus Domini prius ad Joachim, demum ad Annam. Plures Patres adducit Lyræus lib. 1. sermo 34.

2. Eadem

2. Eadem confirmant referuntque, Breviarium Romanum annis 1520. & 1533. Parisiis impressum. Breviarium Ord. Prædicatorum anno 1516. editum in festo S. Annæ. Bertrand. Cardinalis serm. 2. de nat Domini. Jacobus de Voragine in nat. B. Virg. Nitzsche witz Psalterii pag. 3. Themefwar serm. 5. de SS. Galatin. lib. 7. c. 8. Adrichomius pag. 259. theatri terræ sanctæ. Canisius Marialis lib. 1. c. 4. Beyerlinck in Theatro, verbo: Angelus. Wilderad vineti S. Annæ c. 4. Offic. B. Virg. edit. 1548. Paris. fol. 52. Leuchtius Viridarii Regii l. 3. c. 32. Abrahamus Bzovius Pannegyrice 3. in Nat. Virg. & alii §. 13. p. 1. citati.

3. Tempus apparitionis si perquiritur, extra dubium manet, Annam concepisse non diu post Angelicam apparitionem, quod pars adversa concedit & quæst. 21. plenius demonstrabitur.

QVÆSTIO XX.

*An SS. Conjuges ad locum confusionis
tam citò redierint?*

Mense Hebræorum Casleu, occurrens festum Encœniorum ferè incidit in nostrum mensem Decembris, ut docet Hieronymus Natalis & alii. Frequentationem ejusdem festi nulli obligatoriam fuisse probavimus 13. quæstione supra Cum itaque sævâ hyeme, motu spontaneo, solo pietatis intuitu, SS. Conjuges Nazaretho Hierosolymam perrexerint, adhuc incertum manet, primo an Joachim ipso festo, an verò in-

fra